



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Caput piscis in caput Symmachi mutatum, in terrorem Theodorici
Regis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

denti similis. Sed nihil est incredibile, idem sapius accidisse. Cur non iterentur supplicia, si scelera toties repetuntur?

Hac de causa etiam in vetustioribus consimilia leguntur. Tale enim etiam monstrum fuit, quod Platina testatur, Romæ contigisse. Summa Romæ duorum insignium virorū Symmachi & Boëtij (qui gener Symmachi fuit) erat ac præcipua autoritas. Quamobrem euocauit eos Theodoricus rex Gothorum, iussitque Ticinum venire. Ibi eos diu captiuos tenuit, quod impijs eius decretis aduersarentur. Neque contentus fuit vinculis eos stringi, verum bona quoque illorum publicauit, tandemque etiam iniquissimè ambos iussit interfici. Habent viri probi supra se tyrannos; sed & supra tyrannos alius est, qui in eos animaduertat. Itaque, paulo post iniustissimam hanc eadem, secuta est talis pœna barbaram crudelitatem. Symmacho & Boëtio sepultis, epulæ de more parabantur, vt Theodoricus cœnam pariter & scenam feralem adiret. Inter cetera enim regia fercula, grande piscis caput mensæ imponebatur, quod cum ceteris ob magnitudinem suam admirationi esset, regi fuit formidini. Non enim ille piscis cocti, sed Symmachi visus est cernere resectum cruentumque caput, horribili rictu & flammeis oculis ipsi minitantis. Obstupuit eo conspecto, & subito metu consternatus, totoque corpore contremiscens iussit se in lectum deportari; ibi accersito medico Elpidio & familiarissimis quibusque amicorum, terribilem illam Symmachi speciem à se conspectam lamentabiliter denarrauit, atque ita in scelere & sceleris pœna deplorata extinctus est. Hanc formidabilem, in ipsa mensa, metamorphosin quis non iudicet esse monstruosam? Quis autem eius monstri causa fuit, nisi ipse, quem petiuit, Theodoricus? Sed diuinitus eo in scio atque inuito hæc accidit mutatio.

Longè ego propemodum dixissem conuiuium illud monstruosius extitisse, in quod *allatum est caput Ioannis Baptistæ in disco, & datum est puella, & attulit matri suæ*, saltatrix adultera. Non voco caput innocentissimi martyris monstrum, sed conuiuium tamen fuit monstruosissimum. Quis inter fercula cædes, inter pocula vulnera, funera inter conuiuia tractauit?

Ccccc

pugnare

XII.

XIII.

Matth. 14. 12